SCHOLA REGIA NORWIC[illegible]SIS.

On Each side of the City Arms over the Porch are the following Inscriptions.

AD QUEMVIS φιλομαθῆ.

Quam cernis variâ renovatam Porticus Arte
Pandit Apollineis ARTIBVS Ista viam.
Ad Quas ut Stoicos transcendas; Perge, Vocaris:
Invenitq; Novos Nunc Honor Ipse GRADVS

At Quo si quaeras Polycleto Surgim^a, aut Quâ
Invenit Phidiæ Nostra Minervâ Manum,
Totius Candor vult quæq; albere Senatus,
Luteaq; HENRICO LANE Via Sola placet



H. Hulsbergh Sculp.

ANTIQUITATES CAPELLÆ *D. Johannis Evangeliſtæ;* HODIE Scholæ Regiæ *NORWICENSIS.*

LONDINI:

Impenſis E. CURLL. M. DCC. XII.

DE

Schola Regia

NORWICENSI.

ECCLESIA Cathedralis NORWICENSIS, quæ retro elapſis ſæculis, velut inter ignes Luna minores, multis Eccleſiis & ædiculis ſacris cincta fuerat; hodie nonnullas plorat, ut RACHEL filios ſuos, vel quia non ſint, vel quòd in alios uſus ceſſerint. Non ſunt, (ut opinor) jam Eccleſiæ Sancti CUTHBERTI, Fratrum Minorum, & S. VEDASTI, in viciniâ ſuâ olim poſitæ, ut ex antiquis ſcriptis conſtat. A VEDASTO quidem nomen habuit venella quædam, (ut ſequioris ævi homines loquuntur) quæ majoribus noſtris contractè *St. Vaiſts*, nobis corruptè *St. Faiths-lane* dicitur,

dicitur, quaſi S. FIDEI ſeu FIDIS Virginis eſſet, Capella S. GUILELMI indigetis NORWICENSIS, hoc eſt, Divi patrii. vulgò *St. William in the Wood*, * in muſcoſo monte (Anglo-Saxonicè *Moſs-wold*) olim poſita, jam funditus deleta eſt. Capellæ S. LEONARDI in ſummo monte, parietinas quaſdam & rudera hodie oſtendunt. Deſiderantur & aliæ Eccleſiæ extra poſitæ, tam Conventuales quam Parochiales, quas ego mitto, quoniam intra ſepta ejus me contineo. Hic autem S. ETHELBERTI Eccleſiam, cujus mentio facta eſt in Diplomate ſeu Interdicto NORWICENSI GREGORII decimi Pontificis Romani, † diu fruſtra quæſivi. Tandem compertum eſt, eandem ipſam eſſe, quæ aliis Capella S. ALBERTI dicta eſt, ſupra portam, ubi jam ſunt Archiva Cancellarii NORWICENSIS; licet in chartâ quâdam locationis, || dictum reperio, *The Chappel of our Lady*, errore (ut opinor) Notarii. Habuit ea quondam Parochianos ſuos, tam intra quam extra, verùm à tumultuantibus civibus combuſta, Eccleſiæ B. MARIÆ de MARISCO (quæ jam etiam deleta eſt) adjuncta ſeu annexa eſt, ut patet ex Chartis ROGERI de SKERWYNG Epiſcopi, & THOMÆ de SKERNING Archidiaconi NORWICENSIS, Anno Domi-

---

* Ita dicitur in Indenturis ſeu Chartis Locationis D. Janæ Calthorp, & Guilelmi Bleverhaſſet, Libro 1°. Indenturarum, fol. 106. B. & Libro 3. fol. 15. B. penes Decani & Capituli Notarium. † In vetuſtiſſimo codice MS. Sacriſtæ Norwicenſis, penes Mrum. Reppes, fol. 106. || Libro Indenturarum qui Notario dicitur, *The Thin Book*, fol. 121.

ni

ni 1272. ** Capella ſive Sacellum D. JOHANNIS ad portam Eccleſiæ occidentalem, hodie eſt SCHOLA Civitatis publica: Cujus Hiſtoria (quantùm ex vetuſtiſſimis Scriptis & Monumentis colligi poteſt) ita ſe habet. BONIFACIUS Pontifex Romanus, ejus nominis Octavus, quum RADULPHUM de WALPOLE Epiſcopum NORWICENSEM ad ſedem ELIENSEM tranſtuliſſet, Anno Domini MCCXCIX. mox JOHANNEM SALMON Priorem ELIENSEM Epiſcopatu NORWICENSI donavit, qui ab EDVARDO ſecundo Anno Domini 1319, Regni ejus 13. factus eſt ſummus ANGLIÆ Cancellarius: permanſit in eâ dignitate annis ferè quatuor, ab eâque ante obitum morbo præpeditus diſceſſit. Obiit in monaſterio FOLKSTANENSI, in AGRO CANTIANO, Anno 1325. an & ibi ſepultus fuerit incertum, quidam eum NORWISI in Eccleſiâ Cathedrali ſepultum affirmant, ſed nullum de eo extat Monumentum. Struxit hic in Palatio ſuo NORWICENSI Aulam, quam GODWINUS noſter meritò magnam appellat, ejus enim latitudo (ut ex dimenſis ruinis, & parietinarum intercapedine patet) erat pedum ſexaginta, longitudo pedum centum & decem; ejus Porticus ſeu Proaulium adhuc manet. Struxit item Sacellum Epiſcopale, quod Motuum Civilium temporibus dirutum & ſolo æquatum eſt, manente ſolâ ejus Porticu; erat autem ei latitudo pedum

---

** Ex codice MS. cui Titulus Regiſtrum quartum, in Archivis Eccleſiæ.

triginta,

triginta, longitudo centum & triginta *. Struxit etiam Cœnobium quatuor Sacerdotum, ad occidentalem Eccleſiæ Cathedralis portam, cum refectorio, cameris, aliiſque idoneis ædificiis: item Sacellum illud (quod dixi) grande & excelſum, in honorem Divi JOHANNIS EVANGELISTÆ; & ſpecum ſeu fornicem ſubterraneum oſſium humanorum repoſitorium. Porticus autem ejuſdem Sacelli (ut ego conjecturam facio,) ſtructa eſt à GUALTERO HART, plus centum annis ab ipſius Sacelli fundatione. Conjecturam inquam facio, ex illius Scuto Gentilitio in ſummâ porticu ubi in tholum deſinit affixo; quod ita ſe habet, nempe in ſpatio argenteo eſt Taurus niger, armatus & ungulatus auro, intra fimbriam ſeu marginem cum talentis ſeu nummis BIZANTINIS octodecem. Eſt & ibidem ejuſdem Emblema, ſeu ſymbolum à Rebus (ut vulgò loquuntur) deſumptum, hoc eſt, cùm nomen ad res alludat, nempe Cervus in aquâ recubans. Quod autem ad JOHANNEM SALMON ſpectat, nullum ejus Scutum Gentilitium (ejus tempore ut opinor minus uſitatum,) uſquam reperire poteram, niſi quòd in Tabulâ quâdam, ſeu Catalogo Epiſcoporum NORWICENSIUM, hujuſmodi illi affixit (dicam an affinxit?) pictor; nempe in ſcuto nigro tres Salmones argenteos, haurientes, aut emergentes. De oſſium humanorum repoſitoriis rariſſima apud ſcriptores mentio, neque ſatis idoneum vocabulum iis exprimendis excogi-

* Pag. 311.

tatum

tatum est; sequioris ævi scriptores Ossuaria, Carnarias, Caronellas appellabant. Cœmeteria autem, Catacumbæ, Polyandria, & ejusdem farinæ vocabula, publica potiùs loca sepulturæ destinata significant, quàm ossium conditoria. Cœmeteria quasi dormitoria, Christianis dicta sunt sepulchreta publica, propter fidem resurrectionis, & vitæ futuræ, ut interim corpora nostra dormire dicamus. Ad Polyandri genus quoddam (sed subiti & tumultuarii) referri possunt ut ego conjicio, nullius auctoritate fretus, tumuli illi qui in planitie SARISBURIENSI, NOVIFORENSI, & alibi reperiuntur, ubi post finitum prælium congesta sunt occisorum cadavera, & aggestâ terrâ obruta. Conjecturam meam illud stabilire videtur, quòd in summo plerunque depressi sint; nempe quod absumptis paulatim cadaveribus, superinjecta terra subsederit. Repositorii, conditorii, sive (ut ille vocat) POLYANDRI cujusdam mentionem facit PAULUS ARINGHUS, Romæ Subterraneæ, lib. 2. cap. 7. quod Anno MDXLV. erectum est ossibus recipiendis quæ in reædificandâ S. PETRI BASILICA in VATICANO eruta sunt, & hujusmodi titulo seu inscriptione ornatum est.

POLYANDRUM.
Huc congesta sunt ossa omnia
Sanctâ opinione defunctorum,
Novi gratiâ Templi eruta
E loculis suis, ut communi
Conditorio requiescant. MDXLV.

Apud

Apud SINENSES (ſi qua fides FERDINANDO MENDESIO PINTO) immenſæ oſſium humanorum ſtrues religioſiſſimè reconditorum aſſervantur. In Cœmeterii PAULINI parte ſeptentrionali, ubi jam ſunt Bibliopolarum tabernæ, fuit olim Oſſuarium ingens, & ſupra illud Sacellum B.V. MARIÆ, quæ Anno MDXLIX. diruta ſunt; oſſa autem ibi repoſita, plus mille vehiculis in agrum FINSBURIENSEM devecta ſunt; ex quibus unà cum purgamentis & ſordibus, aggeſti ſunt tumuli illi quibus molæ alatæ ſuperſtruuntur, ut refert JOHANNES STOEUS in ſuâ LONDINI deſcriptione, pag. 356. Fundatio autem Carnariæ & Capellæ noſtræ non meliùs enarrari poteſt quàm ex ipſâ Fundationis Chartâ, cujus exemplum infrà ſcriptum eſt.

*UNIVERSIS ſancte matris Eccleſie filiis, ad quorum notitiam præſentes littere pervenerint, frater JOHANNES permiſſione divinâ NORWYCENSIS Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Devota fidelium opera pietatis eò placent propenſiùs omnium creatori, quò plurium indigencia ipſis relevetur, & Chriſto famulantium numerus clariùs exuberet & firmiùs invaleſcat adauctus, cujus firmitatis perſeverantia tunc poterit eſtimari prolixior, tunc certior ſperari, cùm ſanctorum precibus fuerit ſublevata, & eorum meritis intimo com-

* Ex Regiſtro quarto, pag. 235. & ſequentib. Extat Autographum in Archivis Eccleſiæ ſcrinio oblongo, N°. 3. Fig. 62.

mendetur

mendetur affectu. Voce enim dicitur ſapientie, cogitationes mortalium timide, & incerte, providentie noſtre : mortalitatis igitur humane fragilitas propriâ in ſe imbecillitate retorta, ſanctorum preſidiis erigi, & eorum dirigi depoſcit ſanctitate, atteſtante ſcripturâ dicente, & ad aliquem Sanctorum convertere. Sed etſi Sancti ſinguli mortales ſuis meritis muniant & attollant, ipſi tamen precipuè poſt matrem Sancti Sanctorum ſibi ſupplicantibus ſubvenire creduntur, qui Apoſtolicâ dignitate prediti à Chriſto in carne apparente prefecti ſunt, principaliter edocti, ſpecialiter & primò vocati, in quibus & Catholica fides radicata meritis horum pululat & remanet fructuoſa. Noſtre igitur fragilitatis memores, & de dilectorum filiorum Prioris & Conventûs noſtre NORWYCENSIS Eccleſie dilectione pleniùs confidentes, capellam quam in occidentali parte noſtre Cathedralis Eccleſie NORWYCENSIS in honore S. JOHANNIS Apoſtoli & Evangeliſte, cum ſuis edificiis, de conſenſu & voluntate predictorum Prioris & Conventûs fundari fecimus, ipſius Sancti protectioni & tuitioni ſubmittimus, & dictorum Prioris & Conventûs, ſucceſſorumque ſuorum, ſpeciali cuſtodie commendamus. In qua quidem Capella quatuor Sacerdotes in perpetuum ordinamus & fore decernimus, celebraturos pro anima noſtra & animabus patris noſtri & matris noſtre SALOMONIS & AMICIÆ, ac animabus predeceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum Epiſcoporum NORWYCENSIUM, ad cujus Capelle ac dictorum Sacerdotum in ea-

dem celebrantium ſuſtentationem, ac neceſſariorum eidem Capelle exhibitionem, perpetuis temporibus per ipſos Priorem & Conventum & ſucceſſores ſuos ſideliter faciendam, juxta Ordinationem noſtram inferiùs ſuper hijs annotatam, Eccleſiam de WESTHALE noſtre Dioceſis vacantem, cujus Patronatum dicti Prior & Conventus per nos & noſtris ſumptibus, ac nobis mediantibus, adquiſiviſſe & optinere noſcuntur, dictis Priori & Conventui ac ſucceſſoribus ſuis ob augmentum divini cultûs appropriamus, & in proprios uſus auctoritate Pontificali concedimus perpetuò poſſidendam. Salvâ porcione Vicarie quam in dicta Eccleſia modò infra ſcripto duximus ordinandam. Dicti autem Prior & Conventus nomine rectorie, omnes majores decimas, ſcilicet decimas Bladorum cujuſcunque generis ubicunque & undecunque creſcentium, integrè & ſine diminutione percipiant, de quibus decimis quatuor Capellanis in dicta Capella celebrantibus viginti duas Marcas cum dimidia annuatim perſolvent, ſcilicet Capellano principali ſex Marcas, & tribus aliis capellanis ſexdecim Marcas cum dimidia, cuilibet eorum videlicet quinque Marcas cum dimidia, per manus Prioris NORWYCENSIS Eccleſie qui pro tempore fuerit, quem Rectorie de WESTHALE predicte cuſtodem deputamus ſpecialem, qui dictam pecuniam predictis Capellanis certis anni exhibet terminis, videlicet in feſto S. MICHAELIS ſex libras, & in feſto S. ANDREÆ quatuor libras, & in Octabis Paſche centum ſolidos, & ſic annis

ſingulis in perpetuum terminis annotatis. Quod ſi dictus Prior facere diſtulerit vel omiſerit, per nos & ſucceſſores noſtros ad hoc fideliter faciendum legitimè compellatur, & quouſque ſolverit poſt elapſum terminum dicti Sacerdotes omnes & ſinguli in menſa Prioris, ipſo infra prioratum exiſtente, vel in aula hoſpitum, honorificè, ipſo Priore extra Prioratum abſente, reficiantur : plenam ſue pencionis ſolutionem ab ipſo nihilominus poſtea recepturi. Dictos autem Sacerdotes ad celebrandum in Capella predicta ſic deputari volumus & ordinamus, videlicet, quòd Prior NORWICI qui pro tempore fuerit, Capellanum principalem, cui dicte capelle cuſtodia, cum vaſis, veſtibus, libris, ornamentis & edificiis ejuſdem, ſpecialiter eſt committenda, in pleno Capitulo NORWYCENSI coram conventu nominabit, & de eorum conſenſu ad predicta fideliter facienda deputabit & preficiet ſpecialiter juratum ; & hoc quoties dictum Capellanum cedere vel decedere contigerit in futurum : qui quidem Capellanus cotidie miſſam ſpecialiter celebrabit de S. JOHANNE Evangeliſta, cum orationibus defunctorum in ipſa miſſa dicendis, ſicut alibi per nos ordinatum exiſtit : quam quidem ordinationem ſuper divinis officiis in dicta capella faciendis, tam ipſe quam Sacerdotes alii in dicta Capella celebraturi, obſervare fideliter promittent & jurabunt. Alios autem tres ſacerdotes idem Prior in pleno Capitulo NORWYCENSI nominabit, & in dicta Capella deputabit celebraturos, qui cotidie pro defunctis in dicta Capella juxta ordina-

dem celebrantium ſuſtentationem, ac neceſſariorum eidem Capelle exhibitionem, perpetuis temporibus per ipſos Priorem & Conventum & ſucceſſores ſuos ſideliter faciendam, juxta Ordinationem noſtram inferiùs ſuper hijs annotatam, Eccleſiam de WESTHALE noſtre Dioceſis vacantem, cujus Patronatum dicti Prior & Conventus per nos & noſtris ſumptibus, ac nobis mediantibus, adquiſiviſſe & optinere noſcuntur, dictis Priori & Conventui ac ſucceſſoribus ſuis ob augmentum divini cultûs appropriamus, & in proprios uſus auctoritate Pontificali concedimus perpetuò poſſidendam. Salvâ porcione Vicarie quam in dicta Eccleſia modò infra ſcripto duximus ordinandam. Dicti autem Prior & Conventus nomine rectorie, omnes majores decimas, ſcilicet decimas Bladorum cujuſcunque generis ubicunque & undecunque creſcentium, integrè & ſine diminutione percipiant, de quibus decimis quatuor Capellanis in dicta Capella celebrantibus viginti duas Marcas cum dimidia annuatim perſolvent, ſcilicet Capellano principali ſex Marcas, & tribus aliis capellanis ſexdecim Marcas cum dimidia, cuilibet eorum videlicet quinque Marcas cum dimidia, per manus Prioris NORWYCENSIS Eccleſie qui pro tempore fuerit, quem Rectorie de WESTHALE predicte cuſtodem deputamus ſpecialem, qui dictam pecuniam predictis Capellanis certis anni exhibet terminis, videlicet in feſto S. MICHAELIS ſex libras, & in feſto S. ANDREÆ quatuor libras, & in Octabis Paſche centum ſolidos, & ſic annis

ſingulis in perpetuum terminis annotatis. Quod ſi dictus Prior facere diſtulerit vel omiſerit, per nos & ſucceſſores noſtros ad hoc fideliter faciendum legitimè compellatur, & quouſque ſolverit poſt elapſum terminum dicti Sacerdotes omnes & ſinguli in menſa Prioris, ipſo infra prioratum exiſtente, vel in aula hoſpitum, honorificè, ipſo Priore extra Prioratum abſente, reficiantur : plenam ſue pencionis ſolutionem ab ipſo nihilominus poſtea recepturi. Dictos autem Sacerdotes ad celebrandum in Capella predicta ſic deputari volumus & ordinamus, videlicet, quòd Prior NORWICI qui pro tempore fuerit, Capellanum principalem, cui dicte capelle cuſtodia, cum vaſis, veſtibus, libris, ornamentis & edificiis ejuſdem, ſpecialiter eſt committenda, in pleno Capitulo NORWYCENSI coram conventu nominabit, & de eorum conſenſu ad predicta fideliter facienda deputabit & preficiet ſpecialiter juratum ; & hoc quoties dictum Capellanum cedere vel decedere contigerit in futurum : qui quidem Capellanus cotidie miſſam ſpecialiter celebrabit de S. JOHANNE Evangeliſta, cum orationibus defunctorum in ipſa miſſa dicendis, ſicut alibi per nos ordinatum exiſtit : quam quidem ordinationem ſuper divinis officiis in dicta capella faciendis, tam ipſe quam Sacerdotes alii in dicta Capella celebraturi, obſervare fideliter promittent & jurabunt. Alios autem tres ſacerdotes idem Prior in pleno Capitulo NORWYCENSI nominabit, & in dicta Capella deputabit celebraturos, qui cotidie pro defunctis in dicta Capella juxta ordina-

tionem noſtram inde factam celebrare debebunt. Prioris autem predicti conſcientiam in his Sacerdotibus preficiendis coram Deo honoramus, ut in dicta Capella deputet Capellanos ſciolos & honeſtos, ac mature etatis, qui divina officia ſic in eadem peragere valeant, ut Deum placantes precibus, populum inſolenciis ſuis non offendant. Et ſi dicti Sacerdotes deceſſerint vel receſſerint, vel aliquâ juſtâ cauſâ amoti fuerint, infra menſem poſt receſſum vel deceſſum, vel amocionem eorundem, vel alicujus eorum, dictus Prior, vel Supprior NORWYCENSIS vacante Prioratu, de conſenſu Capituli alios ſubrogare celeriter teneatur. Poſt menſem autem dictos Sacerdotes preficiendi penes Epiſcopum NORWYCENSEM vel ejus Officialem remanebit auctoritas eâ vice, & ad ipſam vacationem poſt menſem Epiſcopo vel ejus Officiali citiùs quo poterint apud NORWYCUM fideliter denunciandam, ſinguli Sacerdotes noviter deputati coram Epiſcopo vel ejus officiali Juramentum preſtabunt corporale in forma prenotata. Quod ſi per menſem poſt eorum prefectionem facere diſtulerint vel omiſerint, dimidiam Marcam Officiali Epiſcopi Sacerdos hoc differens vel omittens ſolvere teneatur; & ſi per alium menſem hoc facere neglexerit, per Epiſcopum vel ejus Officialem penitùs amoveatur, & alius loco ipſius per Priorem abſque dilatione ſubrogetur ſub forma predicta. In aliis autem caſibus quibuſcunque, exceptis predictis, dictorum Sacerdotum omnimodam Juriſdictionem, correxionem & cohercionem, ac

ſuper

ſuper & pro quibuſcunque exceſſibus infra clauſuram dicti Prioratus ab iiſdem commiſſis, vel alibi ubi dicti Prior & Conventus ab antiquo juriſdictionem habere noſcuntur, penes eoſdem integraliter volumus remanere. Si vero predicti Sacerdotes vel eorum aliquis in vituperium ordinis Clericalis inhoneſte ſe gerendo crimen notorium commiſerit ſeu commiſerint, cujus pretextu ab obtento beneficio de jure ſit dejiciendus, ſeu alias merito graviter puniendus, predictus Prior taliter delinquentem legitime convictum à ſuo ſtatu & loco in predicta Capella adepto perpetuo amovere, & alium ydoneum loco ipſius ſubrogare liberam & plenam habeat poteſtatem. Dicti autem Sacerdotes in domibus juxta Capellam ad opus eorundem per nos edificatis, ſimul edentes & bibentes, ac communiter conviventes, moram facient & manebunt, per portas dicti prioratus ingreſſum & egreſſum optinentes liberum, cum familia eorundem competenti & honeſta, temporibus opportunis. Quas quidem domos cum pertinentijs earundem dicti Sacerdotes ſumptibus ſuis de communi integrè ſuſtentabunt, & ad hoc competenter faciendum per predictum Priorem quotiens opus fuerit compelli eos decernimus & volumus arceri. Ipſam autem Capellam cum veſtibus vaſis libris & ornamentis ad ipſam pertinentibus, dictus Prior de bonis Rectore Eccleſie de WESTHALE ſuſtentare ac reficere teneatur. Volumus item & ordinamus ut omnes oblationes in dicta Capella per annum faciendas, Sacriſta NORWYCI abſque diminutione percipiat, de quibus tamen medietatem

medietatem oblationum tribus diebus obvenientium, videlicet duobus Feſtis Sancti JOHANNIS Evangeliſte,& die Dedicationis ejuſdem Capelle, dictum Sacriſtam dictis Sacerdotibus conferre volumus & aſſignare, pro pluribus minutis neceſſariis in dicta Capella faciendis inveniendis & reficiendis. Per iſtam tamen collationem, dictorum Prioris & Conventus privilegiis in nullo intendimus derogare. Libri autem & veſtimenta & vaſa à quibuſcunque dicte Capella legata vel aſſignata, abſque mutatione diminutione vel ſubſtractione remaneant in eadem. Ea vero quæ ad Luminaria vel Ornamenta ejuſdem Capelle legantur vel conferuntur in eiſdem uſibus & in Capella eadem integre expendantur. In Carnario autem ſubtus dictam Capellam Sancti JOHANNIS conſtituto, oſſa humana in Civitate NORWYCI humata, de licentia Sacriſte qui pro tempore fuerit, qui dicti Carnarii clavem & cuſtodiam habebit ſpecialem ut uſque ad reſurrectionem generalem honeſte conſerventur a carnibus integre denudata, reponi volumus & obſervari. Predictis autem adjciendo ordinamus & ordinando adjcimus, ut preter & poſt predicte Capelle & miniſtrantium in eadem ut premittitur ſuſtentationem, de fructibus Rectorie Eccleſie de WESTHALE factam & perfectam, Camerarius NORWYCI qui pro tempopore fuerit ſingulis annis in feſto Sancti BENEDICTI in menſe Martij, de dictis fructibus & proventibus novem libras adicto Priore percipiet, pro tunicis yemalibus ad opus medietatis conventus predicti comparandis preparandis & liberandis;

liberandis; medietate Conventus reliqua nichilominus aliunde more ſolito tunicis conſimilibus annis ſingulis veſtienda; ut ex nunc in futurum conventus NORWYCI dictis tunicis integraliter ſingulis annis veſtiatur, cujus ſolum pars media ante noſtro tempora dictis tunicis erat veſtita; indecens enim & indebitum reputamus, ut in tanta tamque ſolempni Chriſto famulantibus Eccleſia, partialis & ſemiplena fiat exhibitio neceſſariorum. Et ad dictas novem libras abſque diminutione vel ſubſtractione ſuo tempore dicto Camerario perſolvendas, Prior ipſe per nos & Succeſſores noſtros ad dicti Camerarii denunciacionem etiam ſingularem, ſi ad hoc opus fuerit, diſtrictius compellatur. Quicquid autem de dictis fructibus & proventibus Rectorie Eccleſie predicte poſt predicta ſuperfuerit, ad uſus communes dicti Prioratus & Eccleſie NORWYCENSIS volumus & ordinamus integraliter remanere. Omnes item Sacerdotes in dicta Capella quotieſcunque & quandocunque ad celebrandum ſpecialiter deputatos vel deputandos jurare volumus corporaliter, quod non inferent clam vel palam, vel inferri permittent aut procurabunt aliqua, nec facient aut attemptabunt, per que Eccleſie noſtre Cathedrali antedicte, aut dictis Priori & Conventui jactura moleſtia dampnum prejudicium ſeu gravamen generetur quoviſmodo. Quod quidem Juramentum omnes & ſingulos ſervientes & miniſtros eorum facere volumus & ſubire; per dictum autem juramentum coram Priore vel Suppriore in forma premiſſa preſtandum Sacerdotes ipſos ligari; nolumus

nolumus vel aliqualiter impediri, quo minus omnia & ſingula eiſdem ex premiſſa ordinatione qualitercunque debita a ſupra dictis Priore & Conventu petere exigere & proſequi valeant cum effectu. In quorum omnium Teſtimonium Sigillum Noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum apud NORTHELMHAM, quarto Nonas Octobris, Anno Domini milleſſimo trecenteſſimo ſexto decimo, & Conſecrationis noſtre decimo ſeptimo.

HÆC omnia confirmata ſunt per Bullam JOHANNIS XXIJ. Pont. Romani. Nec non per Literas Patentes WALTERI Archiepiſcopi CANTUARIENSIS, & ROBERTI de LANGLEE Prioris NORWICENSIS, & Conventus ibidem; ut patet ex vetuſto quodam Codice in Archivis Eccleſiæ Cathedralis, cujus Titulus ſive Inſcriptio eſt WESTHALE. Quin & numerus Sacerdotum ab ipſo Fundatore auctus eſt, additis duobus aliis, ita ut omninò ſex eſſent. Et ad uberiorem omnium ſuſtentationem, Latifundia quædam, in CRESSINGHAM, HOPETON & ASHELE, a WALTERO de NORWYCO Milite coemit, & Priori & Conventui donavit, ſub hâc conditione, ut dictis Sacerdotibus, ex eorum reditibus, Marcas decem & ſeptem annuatim ſolverent, per manus Celerarii qui pro tempore fuerit.

SOLVEBAT etiam idem Celerarius dictis Sacerdotibus, viginti duas Marcas, cum Dimidiâ, ex Decimis de WESTHALE, & decem Libras Camerario NORWYCI, qui pro tempore fuerit,

erit, pro Tunicis hyemalibus, ad opus mediétatis Conventus NORWICI.

HANC Donationem, nequa legis de Manu mortuâ tum nuper latæ violatio fieret, Rex EDWARDUS II. Chartâ ſuâ, ſeu literis (uti vocant) Patentibus ita confirmavit.

* EDWARDUS Dei gratia Rex Anglie, Dominus Hibernie, & Dux Aquitanie, omnibus ad quos preſentes litere pervenerint ſalutem. Licet de communi Conſilio Regni noſtri ſtatutum ſit, quòd non liceat viris Religioſis ſeu aliis ingredi fœdum alicujus, ita quòd ad manum mortuam deveniat, ſine licentia noſtra & capitalis domini de quo res illa immediatè tenetur. Per finem tamen quem dilectus in Chriſto Prior Eccleſie S. Trinitatis NORWYCI fecerit nobiſcum, conceſſimus & licentiam dedimus pro nobis & Heredibus noſtris, quantum in nobis eſt, dilectis nobis in Chriſto Abbati & Conventui de HUMBRESTAYN, quòd ipſi Advocationem Eccleſie de WESTHALE in Comitatu SUFFOLCIE dare poſſint & aſſignare prefato Priori & Conventui ejuſdem loci, habendam & tenendam ſibi & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum. Et eiſdem Priori & Conventui, quòd ipſi Advocationem predictam à prefatis

---

* Ex Regiſtro tertio in Archivis Eccleſiæ, fol. 130. B. reponitur utrumque Regiſtrum in Archivis Eccleſiæ in pluteo oblongo, N°. & Fig. 52. a dextra introeuntis.

Abbate & Conventu recipere poſſint, & tenere ſibi & Succeſſoribus ſuis, ſicut predictum eſt tenore preſentium, ſimiliter licentiam dedimus ſpecialem. Nolentes quod predicti Abbas & Conventus vel Succeſſores ſui, ſeu predicti Prior & Conventus, vel Succeſſores ſui ratione ſtatuti predicti, per nos vel Heredes noſtros inde occaſionentur in aliquo vel graventur, Salvis tamen Capitalibus dominis feodi illius ſerviciis inde debitis & conſuetis. In cujus rei teſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus Patentes; teſte Meipſo apud WYNDESORE, decimo die Aprilis, Anno Regni noſtri octavo, per finem quadraginta Solidorum. HALIWELL.

IDEM etiam Rex Licentiam conceſſit de fundis ad certum valorem coemendis, & in manu mortuâ ponendis, ut ex ejus Chartâ patet.

* EDWARDUS Dei Gratia Rex ANGLIE, Dominus HIBERNIE, & Dux AQUITANIE, Omnibus ad quos Preſentes litere pervenerint ſalutem. Sciatis quod ad Inſtantiam venerabilis Patris JOHANNIS NORWICENSIS Epiſcopi conceſſimus & Licentiam dedimus pro nobis & Heredibus noſtris, quantum in nobis eſt, dilectis nobis in Chriſto Priori & Conventui Sancte TRINITATIS NORWICI, quod ipſi terras Tenementa & redditus ad valorem decem Librarum per annum, tam de Feodo ſuo proprio quam alieno, exceptis terris Tenemen-

* Ex Regiſtro tertio, fol. 131. B.

tis

tis & redditibus que de nobis tenentur in capite, adquirere poſſint, tenenda ſibi & Succeſſoribus ſuis in perpetuum, in ſubventionem ſuſtentationis quatuor Capellanorum, divina ſingulis diebus in Capella Beati JOHANNIS Evangeliſte infra Prioratum per dictum Epiſcopum de novo conſtructa celebraturorum. Statuto de Terris & Tenementis ad manum mortuam non ponendis edito, non obſtante. Dum tamen per Inquiſitiones inde in forma debita faciendas, & in Cancellaria noſtra vel Heredum noſtrorum rite retornandas, compertum ſit quod id fieri poterit abſque dampno & prejudicio noſtro, ac alterius cujuſcunque. In cujus rei teſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus Patentes. Teſte Meipſo, apud EBORACUM, quarto die Junii, anno Regni noſtri duodecimo, per ipſum Regem.

IN quàm immenſum creverit, ſive (ut aliqui volunt) excreverit Eccleſiæ, & Hominum Eccleſiaſticorum Dignitas, ante legem illam de manu mortuâ latam ; quàm ſolenni, quàmque tremendo more (ſi quid Religio valet) confirmata ſint Eccleſiæ ſua Jura & Privilegia, ſatis ex Hiſtoricis noſtris notum. HENRICUS ejus nominis tertius, Anglorum Rex, manum tenens dextram ſuper Sacroſancta Evangelia, juravit, Archiepiſcopo juramentum dictante, & qui tunc extitere Præſules candelas accenſas tenentes, ſimul cum Archiepiſcopo, omnes Eccleſiarum Violatores conceptis verbis excommunicaverunt: AUCTORITATE DEI om-

nipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, Anathematizamus, & à limine Sanctæ Matris Ecclesiæ sequestramus omnes illos, qui à modo scienter & malitiosè Ecclesias privaverint, vel spoliaverint suo jure. Deinde candelæ extinctæ projiciebantur fumigantes & fœtentes: denunciante Archiepiscopo; SIC, SIC extinguantur, fumigent, & fœteant Animæ condemnatæ eorum, qui hæc violabunt, & siniſtrè interpretabuntur, & acclamatum est ab omnibus, sed à Rege frequentiùs & alacriùs, Amen, Amen. Acta sunt hæc in Capellâ S. CATHARINÆ, apud WESTMONASTERIUM.* Specus autem subterraneus, seu Camera arcuata, ut de eâ speciatim pauca dicam, duplici Columnarum ordine sustinetur, ad altitudinem pedum quatuordecim. Ad dextram introeuntis est loculamentum, seu theca Aquiminarii & Perirranterii, in adverso autem pariete loculamentum arcuatum, cui statua olim indita est: Unde conjeci & ipsum specum subterraneum olim Sacellum fuisse, de eâ re certior factus sum ex Testamento JOHANNIS WODEHOUSE Armigeri, qui HENRICO quinto à cubiculo fuit, unusque de curatoribus Testamenti ejus. Atque ex ejusdem JOHANNIS Testamento, (missis iis quæ ad rem nostram minùs spectant) hæc quæ sequuntur descripsi.

---

* Mathæus Paris, in Henrico III.

IN

IN DEI NOMINE Amen, Deo gratias, Ego JOHANNES WODEHOUSE Armiger, compos mentis condo testamentum meum in hanc modum.

Item lego corpus meum, ubicunque infra regnum ANGLIE me contigerit viam universe carnis ingredi, ad sepeliendum in Capella inferiori vocata LE CHARNEL, infra precinctum Prioratus Sancte Trinitatis NORWICI, & quod funeralia & exequie mee teneantur & observentur modo qui sequitur.

ET post missam finitam, volo quod feretrum meum deferatur in LE CHARNEL, & ibidem exequie mortuorum de nocte cum missa in crastino teneantur per Principalem Capelle superioris, & Confratres suos; & per Capellanum Capelle inferioris, modo debito, die septimo, quo die Dominus ab omni opere quod patravit requiebit, & habeat predictus Principalis VI S. VIII d. & Capellanus Capelle inferioris VI S. VIII d. & quilibet Sacerdotum predictorum Confratrum dicti Principalis III S. IV d.

ITEM lego Principali & sociis suis Confratribus Capelle superioris vocate LE CHARNEL, infra precinctum Prioratus predicti, duas parvas pelves argenteas & deauratas, cum duobus candelabris argenteis, habendis sibi & suis Principalibus & Confratribus dicte Capelle superioris in perpetuum, absque ulla alienatione earundem futuris temporibus inde facienda.

IN

IN cujus rei teſtimonium huic præſenti Teſtamento meo Sigillum meum appoſui. Datum apud RIDON, quinto decimo die menſis Januarii, anno regni Regis HENRICI ſexti poſt Conqueſtum nono.

NOMINA & ſucceſſiones Sacerdotum iſtorum hactenus reperire non potui, propterea quod de iis ſilent Libri quos mihi videre contigit, nec ulla extant Monumenta, niſi cujuſdam RADULPHI PULVERTOFT, qui Cuſtos Caronellæ appellatus eſt, vixitque tempore HENRICI ſeptimi, ut ex Chartâ quâdam Alienationis ejus Manu & Sigillo munitâ, quam mihi videre contigit, planè perſpexi. Ejus Epitaphium, in Jeſu Sacello, quod jam Exedrium ſeu Capituli Senaculum eſt, in laminâ aneâ parieti affixâ, ita ſe habet.

En morior prodeſt michi quid prius hoc quod habebam,
Preterit omne quod eſt, eo nudus, ſic veniebam,
Sola michi requies manet, hic non ſunt mea plura,
Antea nulla quies, modo pro nichilo michi cura,
Sed fleo, dum fueram modicum vel nil bene geſſi,
Crimina multa feram fuerant mea quando receſſi,
PULVERTOFT RADULPHUS eram Cuſtos Caronelle,
Chriſte Deus pro me paſſus mea crimina pelle,
Sic ergo petas qui mea ſcripta legas, Pater noſter.

IN ſummo eſt Scutum ejus Gentilitium, ſex Ariſtæ triticeæ, intra Fimbriam ſeu Marginem Pentaphyllis ornatam.

E centum ampliùs Laminis Sepulchralibus, quæ paſſim in Eccleſiâ iſtâ Cathedrali olim affixæ fuerant, hæc ſola reſtat, reliquis motuum Civilium tempore avulſis aut deletis. Uſque adeò rerum novarum ſtudioſa erat ætas iſta, tam novitatis avida, ita omnem Antiquitatem exoſa, ut ipſa majorum Sepulchra & Monumenta ſub obtentu quodam, & prætextu Superſtitionis eliminandæ ſubvertit, aut delevit. Succeſſit RADULPHO PULVERTOFT quidam JOHANNES WHETACRE, utrùm immediatè necne id nondum comperi. Illud ex Scriptis veteribus conſtat, Priorem & Conventum generoſis, aliiſque hominibus Laicis iſtius Capellæ Advocationem pro unicâ ſaltem vice aliquoties conceſſiſſe. Atque quum Anno 30 Regni ſui, HENRICUS octavus loco Prioris & Conventus Decanum & Capitulum ſubſtituiſſet, ſub horum ditione permanſit Carnaria (cum ſuis uti vocant pertinentiis) ut olim ſub poteſtate Prioris & Conventus, & Demenſum ſuum à Decano & Capitulo cepit, unde in computo HENRICI MANEWELL, * Succentoris, ſecundi Prebendarii in auſtrali parte Chori, & Receptoris, Anno 31 & 32. HENRICI VIII. in expenſis annumerantur xij ℔. nomine allocationis pro Dietâ Mri WHETACRE, & aliorum Commenſalium pro dimidio anno. Quin & in loca defunctorum, alii à Decano &

* Nuper penes Mrum. Reppes, jam penes Decanum & Capitulum.

Capitulo ſuccenturiati ſunt Sacerdotes; Quod quidem ex Chartâ ſequenti planè patet.

* JOHANNES Epiſcopus Suffraganeus THEDFORDENSIS, Decanus Eccleſie Cathedralis Sancte TRINITATIS NORWICENSIS, & ejuſdem Eccleſie Capitulum, dilecto nobis in Chriſto Domino THOME LEWYN Capellano, Salutem in Domino: Ad locum Magiſtri ſive Cuſtodis Carnarie infra precinctum Eccleſie Cathedralis predicte per mortem naturalem Magiſtri JOHANNIS WHETACRE ultimi Magiſtri ſive Cuſtodis ibidem vacantem, ad quam per honeſtum virum JOHANNEM SOTHERTON Civem & Mercerum NORWICI ratione prime & proxime Advocationis & Conceſſionis ejuſdem loci per nuper Priorem & Conventum Eccleſie Cathedralis Sancte TRINITATIS predicte, ſibi & NICOLAO SOTHERTON jam defuncto, conjunctim & diviſim facte & conceſſe, hac vice Patronum nobis preſentatus exiſtis; Te in perſona THOME RANOWE literati Procuratoris tui in hac parte ſufficienter & legitime conſtituti, admittimus, teque Magiſtrum ſive Cuſtodem Carnarie predicte in perſona dicti Procuratoris tui, ad Sancta Dei Evangelia de fidelitate & obedientia ſereniſſimo in Chriſto Principi Ed-

* Ex Codice MS. cui Titulus, Liber ſuper conceſſionibus Indenturarum conceſſarum per Decanum & Capitulum. fol. 60. B. Penes Decani & Capituli Notarium, ab eo dicitur, *The 2d Leiger-Book.*

WARDO ſexto Dei gratia ANGLIE, FRANCIE & HIBERNIE Regi, Fidei Defenſori, ac in Terra Eccleſie Anglicane & Hibernice Capiti ſupremo, nec non de refutando renunciando & recuſando Romano Pontifice, ejuſque Autoritate & Juriſdictione uſurpatis, juxta vim formam & effectum cujuſdam Acti Parliamenti in hac parte editi & proviſi, ac de obſervando Statuta & Ordinationes Carnarie predicte juratum, canonice inſtituimus & inveſtimus, cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis. In cujus rei Teſtimoúm, Sigillum noſtrum commune preſentibus appoſuimus. Datum in Domo noſtra Capitulari, ultimo die Menſis Aprilis, Anno Domini 1547. Regni vero dicti Domini noſtri Regis Anno primo.

HACTENUS in defunctorum Monumentis, quaſi in Oſſium aridorum convalle verſati ſumus, obſcuritate & caligine quâdam obducti. In noviſſimo Seculo, & ætate noſtrâ, lux uberior expectari poterat; verum aliter ſe res habet. nam ex quo fundata eſt Schola publica, omnia non minùs obſcura. Olim quidem depicta fuerant in Feneſtris Scuta quædam Gentilitia, eorumque Nomina & Elogia, qui Scholam ſumptibus ſuis adornarunt, ſed hodie adeo dirupta, aut vitrariorum incuriâ in aliena loca traducta ſunt omnia, ut nil integri aut certi ex iis colligi poterit. In Feneſtris quæ meridiem ſpectant omnia jampridem penitus deleta ſunt. In latere quidem Septentrionali, quod Ædificiis incluſum, tempeſtatibus aliiſque injuriis minùs

expoſitum eſt, etſi nomina prorſus evanuerint, ſuperſunt tamen Scuta quædam Gentilitia, quæ ſic exponuntur. Primum Scutum eſt Pannariorum, nempe in areâ cæruleâ (Fæcialibus campo azureo) tres coronæ triplices ſeu Pontificales aureæ, ſupra totidem nubes irradiatus. Secundum eſt Aromatariorum, habetque capreolum, ſeu ſignum Capitale rubrum, (Fæcialibus Cheveronam) inter novem Caryophyllos aromaticos. Scutum tertium eſt argenteum, cum Cruce planâ rubrâ, vulgò D. GEORGII. Scuto quarto argenteo depictus eſt Capreolus niger, inter tres peregrinantium Peras Baculis appenſas, coloris ſecundi : Eſtque (ut opinor) Familiæ PALMERORUM. Quintum etiam argenteum, per Faſciam ex tranſverſo partitum eſt, in eoque quinque Pali nigri alternatim poſiti, GUILLIMO noſtro * eſt Scutum Gentilitium Familiæ SYMBARBORUM. In ſexto quadripartito, intercidit Scutum paternum, id eſt primum, ſimul & quartum. Secundum argenteum eſt, in eoque Capreolus niger craticulatus, ſive ingrediens, inter ſex Claves erectas ad invicem terga vertentes. Tertium etiam argenteum eſt, habetque Capreolum nigrum ingredientem, inter anates viridis tres. Hoc Scutum ita quadripartitum ſibi vendicat Familia RUGGORUM. Quædam Scuta nuda ſunt, nullo (ut Fæciales loquuntur) geſtamine, nullis Inſignibus ornata, ſed Literis duabus majuſculis, aut Chara-

* Sect. 5. Cap. 3.

ctere

ctere quodam ad Nomen designandum distinguuntur. In superiori ejus lateris Fenestrâ, Fragmenta quædam vocum supersunt, ex quibus non difficili conjecturâ hanc Lectionem elicere licebit, quæ ad eos præcipuè referenda videtur, quorum Insignia & Elogia præcesserant.

Hanc cum jam misere fuerat Vicina ruine,
Ære domum cives restituere suo,
Atque modo quo nunc ornatam cernitis illam,
Grammaticam Pueris instituere Scholam.

IN summo Fenestræ quæ orientem spectat, Corona fuit Imperialis, atque in ejusdem areâ mediâ Insignia Regis EDWARDI sexti, qui inchoatum à Patre suo HENRICO Octavo πλωχοδοχεῖον, chartâ suâ confirmavit, & ex ejusdem proventibus Scholæ Grammaticæ Magistrum & Hypodidascalum alendos curavit, ut ex eâdem Chartâ Regiâ † patet; cujus Exemplum (missis iis quæ huc non spectant) infra Scriptum est,

EDWARDUS Sextus, &c.

VOLUMUS etiam & Auctoritate nostra Regia qua fungimur, pro nobis Heredibus & Successoribus nostris, de Advisamento & Consensu dicti Protectoris & Coexecutorum suorum prædictorum concedimus, quod de Ter-

† In Archivis Civitatis penes ejus Notarium.

ris Tenementis & Poſſeſſionibus predictis, decetero imperpetuum ſint & erint ſuppeditati in Domo ſive Civitate predicta, unus Ludimagiſter, vocatus a Scole-maſter, & unus Hipodidaſcalus ſub eodem Magiſtro, ſufficienter literati, ad Pueros Artem Grammaticalem erudiendos, per Majorem Civitatis predicte & ejus Succeſſores Majores Civitatis predicte pro tempore exiſtentes, cum conſenſu majoris partis & numeri Aldermanorum Civitatis predicte pro tempore exiſtentium, de tempore in tempus nominandi, & appunctuandi.

VOLUMUS etiam, & pro nobis Heredibus & Succeſſoribus noſtris de Adviſamento & Conſenſu dicti Protectoris & Coexecutorum ſuorum predictorum Licentiam damus, prefatis Majori Vicecomitibus Civibus & Communitati NORWICI predictis, & Succeſſoribus ſuis, de tempore in tempus impoſterum licite & impune dare, concidere, & aſſignare cuilibet tali perſonæ quæ impoſterum erit Ludimagiſter puerorum prædictorum, & quæ Impoſterum nominabitur ſive appunctuetur ad eadem locum officium & dignitatem, ut predictum eſt, unam idoneam Manſionem Habitationem & Domum convenientem pro manſione ſua, ac quandam annuitatem ſive annualem Penſionem decem Librarum Sterlingorum, cum clauſula diſtrictionis, ſeu alia clauſula quacunque, pro ſecuritate Solutionis ejuſdem Annuitatis ſive Annualis Penſionis,

HABENDUM

HABENDUM predictam Manſionem,& predictam Annuitatem ſive Annualem Penſionem decem Librarum, eidem perſonæ que erit Ludimagiſter Puerorum predictorum, & que impoſterum nominabitur & appunctuetur ad eâſdem locum & dignitatem ut predictum eſt, quamdiu eadem perſona que ut prefertur erit Ludimagiſter Puerorum predictorum ſe bene geſſerit, ſtatuto de Terris ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo Statuto, Ordinatione ſeu Proviſione, in contrarium inde non obſtante. Ac eidem Ludimagiſtro, quod ipſe dictam Manſionem & annuitatem ſive annualem Penſionem de prefatis Majore Vicecomitibus Civibus communitate capere & recipere poſſit, ac ſibi tenere in forma predicta. Et quod quilibet perſona & perſone que erit Ludimagiſter, ſive que erunt Ludimagiſtri Puerorum, & omnes illi qui nominabuntur & appunctuentur ad eadem Locum Officium & Dignitatem Ludimagiſtri predictorum Puerorum, de tempore in tempus habebunt & gaudebunt Locum, Officium & Dignitatem illa, abſque Solutione Primorum Fructuum, Primitiarum aut Decimarum, ſeu alicujus ſumme aut aliquarum Pecuniarum ſummarum, pro aut nomine Primorum Fructuum, Primitiarum, ſeu Decimarum, vel annualis redditus decime partis de aut pro eodem Loco Officio vel Dignitate, vel de aut pro eadem Manſione, ſive Annuitate nobis Heredibus vel Succeſſoribus noſtris, aut pro nobis Heredibus vel Succeſſoribus noſtris pro inde petendi aut calumpniandi, ratione & pretextu predicti

Actus

Actus Parliamenti, de conceſſione Primitiarum, & Decimarum, Eccleſiaſticorum & Spiritualium Beneficiorum & Promotionum, dicto nuper Regi patri noſtro Heredibus & Succeſſoribus ſuis predictis, Anno Regni ſui viceſſimo ſexto editi & proviſi, ſed inde erunt exonerati & acquietati imperpetuum per preſentes: Statuto illo aut aliquo alio actu Statuto ſive Lege incontrarium inde antehac edito aut ordinato ſeu proviſo in aliquo non obſtante. Ac ulterius volumus, ac de Adviſamento & Conſenſu dicti Protectoris & Coexecutorum ſuorum predictorum pro nobis Heredibus & Succeſſoribus noſtris concedimus, prefatis Majori Vicecomitibus Civibus & Communitati predicte Civitatis NORWICI & Succeſſoribus ſuis, quod idem Major & Succeſſores ſui Majores Civitatis predicte pro tempore exiſtentes, cum conſenſu majoris partis & numeri Aldermanorum Civitatis predicte pro tempore exiſtentium, de tempore in tempus imperpetuum habebunt Nominationem, Aſſignationem & Appunctuationem predicti Ludimagiſtri, & Succeſſorum ſuorum, Ludimagiſtrorum Puerorum predictorum pro tempore exiſtentium, & quod bene liceat & licebit eidem Majori, & Succeſſoribus ſuis Majoribus Civitatis predicte pro tempore exiſtentibus, cum Conſenſu majoris partis & numeri Aldermanorum ejuſdem Civitatis pro tempore exiſtentium, dictum Ludimagiſtrum & ejus Succeſſores Ludimagiſtros Schole predicte pro tempore exiſtentes, & eorum quemlibet pro aliquo magno crimine ſeu offenſo per eos ſeu eorum aliquem perpetrando,

aut

aut pro eo quod negligentes aut non obedientes fuerint, aut quod aliquis eorum negligens seu non obediens fuerit, in exequendo & faciendo ea bona & rationabilia ordinationes & mandâta que iis vel eorum alicui imposterum assignare seu appunctuare contigerit, expellere & amovere, & aliam personam idoneam & convenientem ad ejus locum & Officium qui sic amovetur & expelletur assignare & appunctuare de tempore in tempus, totiens quotiens casus sic acciderit.

VOLUMUS etiam, & de Advisamento & Consensu dicti Protectoris & Coexecutorum suorum predictorum pro nobis Heredibus & Successoribus nostris concedimus, & Licentiam damus prefatis Majori Vicecomitibus Civibus & Communitati NORWICI prædictis & Successoribus suis, de tempore in tempus imposterum licite & impune dare concedere & assignare cuilibet tali persone que imposterum erit Hypodidascalus sub Ludimagistro predicto,& imposterum nominabitur & appunctuetur ad eadem Locum Officium & Dignitatem Hypodidascali, unam idoneam mansionem Habitationem & Domum convenientem pro Mansione sua, ac quandam annuitatem sive annualem Pensionem sex Librarum tresdecem Solidorum & quatuor Denariorum Sterlingorum, cum Clausula Districtionis seu alia Clausula quacunque pro securitate Solutionis ejusdem Annuitatis sive Annualis Pensionis.

HABENDUM predictam Mansionem & predictam Annuitatem sive Annualem Pensionem

sex

